

cum recenti peditatu atque equitatu subveniretur, nostri receptui canere jussi, ordinata acie dimicantes se recipiunt. In ea pugna triginta cecidere, sexaginta lethalibus vulneribus confossi mox interiere; multo plures ex Turcis (quorum numerus iniri non potuit) occubuerunt. Is postremus extra moenia conatus fuit, cum duobus sequentibus diebus tantum promotis aggeribus hostes appropinquassent, ut non citra certum atque inevitabile mortis periculum invadi possent. Ab iis summo mane, ac sub vespertum, horae spatio continens sclopporum procella, vel ad terrorem propugnatoribus incutiendum, vel ad ingentem militum numerum ostentandum, emittebatur; quae in aedes, atque urbis semitas decidens, paucis tamen aut vulnera, aut lethum inferebat; cum tamen qui in moenibus constiterant, in caput icti procumberent, caesorumque in dies numerus augeretur. Eo astu quoque hostes utebantur, ut sagittas Persico more pictas, atque eleganter elaboratas in nuper extructum parvum excoespitem aggerem ejacularentur, earumque pulchritudine allectos, potiendarumque desiderio prodeuntes interficerent: qua arte complures temere se se objectantes periere.

At decimoseptimo kal. junii, prima luce, terribili fragore cum sex ac sexaginta tormentis, ingenti sclopporum dis-plosione praecunte, verberatio coepta. Cum ad terrorem nostris incutiendum, munitiones, atque aggeres innumeris vexillis, ac signis, immensaque omnis generis armorum copia ad stuporem usque Turcae exornassent, nostri ferreae grandinis magnam vim, quinque ac triginta majora tormenta in oppugnatores contorquent. Tantus utrinque impetus, horrificus adeo strepitus ac fragor erat, ut ruere caelum, discissa terra, urbes, oppidaque hauriri diceres. Nunquam ea die intermissa verberatio, novem sequentibus remissius aliquanto continuata. Ingentes a nostris in propinqua munimenta ruinae editae, tormentorum quorundam ora obstructa, alia humi prostrata, magna hostium caedes facta. Turcae initio parvo detrimento moenia affecere, quod cum protectorios aggeres prosternere, nostrisque sclopporum usum adimere niterentur, altius librata tormenta moenia non attingerent, sed in urbem delata domos sternerent, atque obvios quosque ruinis